Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 125
Quelle:
Copyright:

Jacobi notulis ex utraque *Gloſſa* hinc inde adſperſas. *Fol.* 41. p. 2. per errorem inchoata eſt *Prima ad Theſſalonic.* poſt *Secundam ad Corinth.* ſed loco ſuo integra recurrit. Prima *Joh.* c. 5. Teſtimonium duplex ſic conceptum eſt: *quia tres ſunt qui teſtimonium dant in terra. ſpiritus, aqua et ſanguis, et tres vnum ſunt, et tres ſunt qui teſtimonium dant in celo Pater verbum et ſpiritus et hij tres vnum ſunt. Jacobi* Epiſtola ultima poſita eſt; monetur tamen in calce: *Explicit epiſtola beati Jacobi Apoſtoli, Que in ordine aliarum epiſtolarum Canonicarum debet eſſe prior, ut patet in prologo huius epiſtole;* ſunt enim Epiſtolis praefixa brevia Summaria. Ceterum exigui momenti Codex.

LVII. VI. E 24.

312 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. 144. f. luculente ſcriptus, literisque initialibus quadratis picturatis decorus complectitur: I. *Divi Pauli Apoſtoli Epiſtolas* XIV. ita, ut Epiſtola *ad Coloſſ.* poſtponatur binis *ad Theſſalonic.* et Epiſtolae *ad Hebr.* adtexta ſit ſpuria *ad Laodicenſes.* Praemittitur primo ſuppreſſo nomine *Praefatio generalis Hieronymi in omnes Pauli Epiſtolas* ita: *Incipit Prologus. Primum quaeritur quemadmodum poſt Euangelia quae Supplementum legis ſunt* &c. Sequitur *ſpecialis* ejusdem *in Epiſtolam ad Rom.* hic inſcripta: *Item. De Romanis aliud Argumentum. Romani qui ex iudeis gentilibusque crediderant* &c. Demum ſubnectitur locus ille e *Comment. in Epiſt. ad Galat.* de quo ad *Cod.* LVIII. Epiſtolae ipſae non tantum utroque latere, ſed inter ipſas etiam lineas ſtipantur expoſitionibus minuto charactere exaratis, e *Beda, Hrabano* et *Gloſſa Ordinaria* ut plurimum depromtis. Epiſtola *ad Rom.* ſecta eſt in Particulas LI. Binae *ad Corinthios* praeferunt Indicem *Capitulorum.* Prima quidem LXXII. altera XXVIII. Sub finem *Epiſt. ad Galat.* voci *Stigmata* recentior paullo manus inſcripſit *alagiuuis ceican.* Praeter *Summaria* Epiſtolis praefixa, et in antiquioribus etiam Bibliorum editionibus obvia *Epiſtolae ad Hebr.* praemiſſus eſt *Prologus*, qui in *Bibliis gloſſatis* inſcribitur *Argumentum*, et incipit: *In primis dicendum eſt quur apoſtolus paulus in hac epiſtola ſcribendo non ſeruauerit morem ſuum* &c. Ultima eſt *Epiſtola ad Laodicenſes* absque ullis notis.

II. *fol.* 120. *Incipiunt Epiſtolae Canonicae. Feliciter. Incipit Prologus.* Idem *Hieronymi* qui praefixus eſt in *Bibl. gloſſat.* et infit: *Non ita ordo eſt apud Grecos* &c. Occurrunt et hic Gloſſae *Theotiſcae:* integre. *kanzo.* quodammodo *ceddes licherouuis.* corrodendam *ce zanonne, ce chiuuanne.* falſarium *lugenare.* corruptorem *Zkntbrecherare.* Epiſtolae ipſae ordine recepto ſe conſequuntur, praemiſſis cuilibet *capitulis*, aut, ut hic etiam adpellantur, *Brevibus.* Tituli et Clauſulae omnium literis majuſculis coloratis.